



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXVIII. Brvno. LII. Arch. VII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

copis post annorum sex ab habita electione spatium consecratus, & serò nimium pallium potestatis Ecclesiasticæ insigne à pseudo-pontifice Clemente adeptus, dum schismatici Cæsaris partes nunquam seriò reliquit, perpetuum bonorum ferè omnium odium ac tædium peperit; tametsi multa ageret, quæ commendationem merebantur maximam: Divorum namque, præsertim Trevirensium majori honori, ac venerationi sedulò consuluit, & Ecclesiæ suæ jura strenuè defendit, & pedo adversus lupos, & gladio adversus Ecclesiasticorum bonorum invasores usus, quod factum Superi miraculo sunt visi laudare: Henricum namque Comitem Limburgensem Arlunensis Marchionatus Ditiones Metropolitanæ Ecclesiæ ab Adelhaide donatas, armata manu repetentem, Egelbertus primùm anathemate percussit, dein verò justa acie profligavit: ubi evenisse ita tradunt, ut cum Henricus anathematis sententiam sprevisset, & prehensio manibus carnis frusto dixisset: tam parùm Episcopi sententia me cœlo privat, quàm parùm hic canis à comedenda carne abstinet; canis à carne, attonitis cunctis, abstinuerit, & fugerit, ac Henricus Egelberto gemina ex parte victori manus dederit. Tandem Elector hic multis defunctus periculis, discrimen mortis adiit maximum, dubio posteris relicto, an Ecclesiæ reconciliatus obiêrit, tametsi in æde Trevirensium summa sepultus fuerit an. 1101. postquam annis 24. potiùs pro Sede pugnavit, quàm sedit,

S E C U L U M XII.

LXXVIII. BRVNO. LII. ARCH.

VII. ELECTOR.

BRuno ex illustrissima Brethemiorum Comitum stirpe in Francia Orientali oriundus, ab Adone verò Archipræsule educatus, Moguntia tandem post sui electionem consecratus, placuit Trevis & Elector, & Archipræsul. Displicuit ve-

P

rò

rò primùm Paschali Summo Pontifici, quòd ab Imperatore Henrico data Electoris insignia induisset: unde pœnæ & pœnitentiæ causâ annis tribus absque Dalmatica, uti dicimus, celebrare ad aram est iussus. Conciliatus nihilominus Pontifici Pallium impetravit, ac inde in Germaniam reversus, Romano ardens spiritu, ac zelo ferventissimè ad concionem dixit, Ecclesiasticæ disciplinæ quamprimùm restaurandæ intentus; eam ob rem Synodo indicta, & celebrata. Nimis liberalem, aut prodigum dixere nonnulli, quòd Thietmaro in Brunsvicensi agro Abbati S. Modoaldi cum duobus Thæbeorum M.M. corporibus Reliquias, quin nec modicam de S. Autoris corpore partem donarit. Successu temporis varia expertus est fata, præsertim cum Henrici V. Cæsaris signa haud providè secutus, Gelasium II. Rom. Pontificem oppugnavit: sed deinde mutatus & emendatus author Cæsari fuit, ut cum Calisto Gelasii Successore damnatis odiis pacem jurarent, Quare tunc etiam firmata denuo sunt Trevirensis Ecclesiæ privilegia, competitoribus Episcopis parùm accepta. Annis prioribus Berengarii sectatores Trevirensium Ovile, luporum instar petentium oppressit, Dominico quondam Presbytero, tum verò inter scabiosum gregem hirco, ad supplicium damnato. Annis vitæ ultimis Religioni ac virtutibus aliis multis promovendis indefessam navavit operam; extractis enim aris recentibus simulque monasteriis, in hæc sese crebrò abdidit, ut ad Divorum sepulchra, concubia etiam nocte liceret orationi ardentius invigilare. Vigilantissimum itaque Archipræsulem mors offendit an. 1124. Sed an. 23.

LXXIX. GODEFRIDVS, LIII. ARCH.

VIII. ELECTOR.

Godefridus Leodiò oriundus, ea laude est functus Decanum munere, ut Trevis Archiepiscopum legere voluptas fuerit,